

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes various red initials and underlines.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

47

CARMEN
IN HORTVM D. EV-
SEBII MENII, COLLEGÆ
ET FRATRIS SVI CARISSIMI
SCRIPTVM.

A

IOHANNES MAIORE IOACHI-
MO, THEOLOGIAE DOCTORE
ET POETA CORONATO.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IACOBVS
Lucius Transylvanus.

1593.

↑ 2

IN HORTVM D. EVSEBII
MENII.

Hortus odoratis surgit pulcerrimus herbis
Consitus antè urbem uicinæ ad mœnia portæ
Quâ sedes sacra exuijs magniq; Lutheri,
Consortisq; operum fidi, doctiq; Philippi.

Fons scatet in medio sanis uberrimus undis
Occultè medicans scabie liuentia membra,
Cuius ubi experti uires, lymphasq; potentes,
Insignes quondam arte uiri, vatunq; Micyllus
Optimus, & qui se Grynæum uoce ferebat,
Cum sæpè abluerent tepesactis corpora lymphis:
Tum fonti nomen Vatum tribuere sacrorum
Olim qui fato uires habuere medendi.

Imminet inde super Lenæo germine florens
Ad Solem expositus collis, dehinc ualle reducta
Depositæ sulcis plantæ, & de matre recisæ
Exeruere caput mixtis in fronde racemis.
Adde tot herbarum species, arbustaq; leta
Æquis inter se spacijs digesta per hortum.
Hic cerasis locus, hinc cæram simulantia pruna,
Castaneæq; nuces, & mala Cytonia ramis
Luxuriant, ipsamq; grauant sua pondera matrem.
Antè aditus uerò domus est accommoda Musis,
Secessum & curis quærenti, aut rebus agendis.
Hortus in hos usus colitur tibi candide Meni

Cum

Cum fessi studijs recreamus corpora eundo,
Atq; graues curas sancto sermone leuamus
Dum morum, & uitae laxari frena frequenter
Cernimus, & nusquam leges, & recta ualere
Consilia, aut fato urgenti succumbere mentes:
Quandoquidem quibus est melior sententia menti,
Elisi, spretoq; abeunt, aut dicere mussant.
Adueniet tamen illa dies, qua quemq; manebunt
Præmia pro factis, seu recta aut improba gessit,
Et meliora pijs uersa uice currere fata
Incipient, tersæq; genis in gaudia abibunt
Iustorum lacrymæ: tunc & gens improba labem
Morte luet merita, seuoq; accincta flagello
Tisiphone æternum pœnas cum sanguine poscet.

Hæc ita, cum uiridi uestigia ducimus horto,
Solamurq; animos conspecta ab imagine florum
Quos pater omnipotens putrefacto è semine in auras
Protrudit sub vere nouo, uarijsq; colorum
Ornat imaginibus, quali non luxit amictu
Rex Salomon, quamuis regum ditissimus esset,
Et dubitamus adhuc an curæ simus, & ullos
Obseruans homines sedeat Deus altus Olympo,
Qui longè flores superamus, quæis pater ipse
Subsidio Natum misit, qui sanguine vitam
Perpetuam referat, cum flos qui uiuidus exit
Tantum hodie floret, cras nutrimenta daturus,

A ij Materiemq;

Materiemq̄, focis. O qui uiridaria campi
Aspiciſtis, reuocate animum, & ſpe pascite mentes.

Ecquid larga tuo meſſis tibi prouenit horto,
Si tantum ſolamen habes, ſi commoda tanta
Non magno ex horto, quæ nec uel Adonidis horti,
Aut nemora Alcinoi dederant ſolatia menti.

Vir erat in Solymis Arimathide natus in ora
Nomine Iosephus, tanta qui ſolus in urbe
Conſcriptos inter patres comes hæſit Ieſu
Regna dei ſperans, & uitæ ſecla futuræ
Cum mare, cum tellus, renouandaq̄ machina cæli
Corruat, & claras redeant animata ſub auras
Corpora, quæ tumulis pridem liquefacta iacebant.
Sæpè illi gelidus circum præcordia ſanguis
Diriguit, quoties rabida agmina circumſpexit
Confeſſu in medio patrum, quos gloria Chriſti
Obliqua inuidia, ſtimulisq̄ urgebat amaris,
Dum cernunt latè Solyma increbreſcere in ora
Nomen & acta uiri, ſeſe & ſua ſacra uiciſſim
Concidere, & ueram doctrinæ exurgere lucem.
Ergo hortū arboribus cultū, et beneolentibꝰ herbis
Ante urbem eduxit diuino in monte Moria,
Quâ ſacri proauitumulos habuere frequentes,
Et uita functi placida iam in morte quierunt.
Tectum erat huic horti in medio, pulcriq̄ receptus
Arte colorati, curiſq̄ ingentibus æger
Huc greſſus tulit, hinc petijt ſolatia uitæ.

Per

Per se pulchra quidem uitæ argumenta futura
Hortus habet, uarijsq; micat pulcerrimus index
Angurijs passim, mutandæq; omina formæ
Antè oculos, interq; manus sunt plurima nostras.
Nam Zephyris resoluta sinum terra alma quotannis
Producit fruges quæ iam in tellure latebant
Rura gelu dum claudit hyems, dum leta recumbunt
Germina, cumq; suis moriuntur frondibus herbæ,
Nec suus est hortis decor, & sua gratia ruri,
Sub terris enectæ iacent insecta, suisq;
Semina putrescunt sulcis cumulo obruta arenæ.
At simul ascendens radios iacit ætherius Sol
In terram, & sparso reuocat genus omne calore:
Surgite uermiculi, uos sulcis condita grana
Surgite, & aerias pictum caput ædite in auras,
Assuetæ & ripis uolucres, & fluminis alueo
Mos quibus hyberno se tempore condere in undas,
Surgite, tempus adest, nec enim mora libera uobis.
Ecce cateruatim surgunt uelut agmine factò,
Et uarios foetus uario de germine trudent,
Omnibus & plantis uita est, uita omnibus herbis.
Semine ab exiguo tot gignit grana papauer,
Tot folia, & capitum uarijs discrimina cellis.
Hæc ne Deus paruo in grano tua magna potestas?
Tunè nouas putri producis semine fruges,
Et uerbo àerias in luminis elicis oras?
Nonne idem ualeas generoso è semine carnis

A ij

Antiquos



Antiquos renouare ortus, vitamq; caducis
Inserere exuuijs, animamq; inflare sepultum
In cinerem, atq; nouas hominum producere formas
Mente Deo similes, & membra micantia Soli?
Hei quàm parua manet nostras fiducia mentes,
Quanquam aliquem cœlo dominũ, rerumq; parentem
Consciamens trepidat, quanquam illum uoce salutat
Seruatorem orbis, rerumq; sub orbe potentem.
Cur dubitant homines duræ solatia uitæ
Hinc trahere, & lapsis melius confidere rebus?
Quandoquidem uiuunt animæ post funera nostræ
Quas mox corporibus iunget Deus, altaq; cœli
Æternis habitanda dabit penetralia seclis:
Et quia magna dedit, non addere parua negabit,
Vel ualidam uitam, uel quod uitæ exigit usus.

His, alijsq; modis mulcebat sensa Iosephi
Parua domus, sed quæ non paruos stabat ad usus:
Namq; sacrum uiuo monumentum in pumice fecit
Quod premeret moriens, & dulci in pace quietem
Carperet, optatum supremæ lucis ad ortum.
Hæc molem hanc viridi uoluit consistere in horto
Relligio, & tumulo tantos impendere sumtus,
Dulcia venturæ dum sperat tempora uitæ.

Certa fides fuerat, carnem cum sanguine nostram
Cælestis regni solio non posse potiri
Ni prius in cinerem tumulo resoluta fatiscant.
Ergo ut supremam fati perpenderet horam,

Et

Et nullam humanis unquam spem poneret ausis:
His monitus signis, atq; hæc exempla volutans,
Sede voluptatis media, viridiq; recessu
Triste parans bustum, signis ornauit & arte.
Ah quoties duro fessus molimine rerum
Deuotum carpebat iter per amæna vireta
Spe reprimens curas, & corda oblita laborum:
Ah quoties palmas ad cælum vtrasq; tetendit,
Concepitq; preces: Pater ô supreme, laborum
Siste modum, & fatis tandem me subtrahere mundo
Molliter ut gelido componam membra sepulcro
Nascentes inter flores consertus, & herbas,
Hic ubi mille auium species dant gutture cantus,
Et blanda rerum auctorem cum uoce salutant.
Hic liceat Nati vultum venientis, & ora
Expectare tui, quando cum murmure magno
Turbinis igniuomi terramq; polumq; cremabit,
Corporaq; excubit tumulis, & sistet Olympo,
Quæstorq; hominum uitas, & crimina discet.

Hic tumulus fuit artis opus: Quid pendula iactas
Mausolœa Pharos? Quid amænis splendida signis
Educis monumenta, & molem ad sydera tollis,
Et myrrha, & fumis mos est condire Sabæis?
Namq; sacerdotis perfunctus munere summi
Filius ipse Dei felicia busta Iosephi
Lustrauit moriens, veroq; sacrauit honore
Dum sua in ipsius componit membra sepulcro.

Ille

*Illa domus certè est sanctis ornata figuris
Quam uoluit pater ipse hominum, mundiq; redemptor
Posthabitis passim coluisse tot arcibus orbis.
Idem qui positus lustrauit busta Iosephi,
Ille etiam tumulos sacrauit, & antra piorum,
Non opus est illis lustrali aspergine lymphæ,
Nec qui Romana defertur puluis ab urbe:
Sed metus ille foras fido de pectore agatur
Omnia suffundens inamæno horrore sepulcri.*

*Hæc super egregio pro tempore lusimus horto
Propter aquæ riuum prostrati in gramine molli,
Dum florum aspectu mæstos recreamus ocellos.
Cætera per terras torpent penè omnia luctu,
Tàm tristis rerum facies, miseræq; ruinæ
Antè oculos, fatisq; egrè obluetamur acerbis.
Aspice quàm cupidè suspirent omnia finem,
Principium æterni Veris, quo cuncta latebris
Condita, perpetuæ data inibunt lumina lucis.
Illa dies dulci amplexu fidissima quondam
Pectora coniunget, quæ mors dissoluit acerbo
Funere, & antè diem spoliauit lumine vitæ.*

FINIS.

153028

AB: 153028

ULB Halle

3


003 486 044



86

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several red initials and red horizontal lines.]





47

CARMEN
IN HORTVM D. EV
SEBII MENII, COLLEGÆ
ET FRATRIS SVI CARISSIMI
SCRIPTVM.

A

IOHANNE MAIORE IOACHI
MO, THEOLOGIAE DOCTORE
ET POETA CORONATO.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IACOBVS
Lucius Transylvanus.

1593.
↑ 2